

dictoque monasterio sancti Iohannis utiliter providere volentes honorabili fratri Lubberto monacho monasterii sancti Iacobi prope Maguntiam eiusdem ordinis abbatiam monasterii sancti Iohannis memoratam in omnibus [iuribus] et pertinentiis suis auctoritate nostra ordinaria predicta contulimus et assignavimus atque de eadem providimus ac sibi collationem et provisionem huiusmodi intimari fecimus. Qui quidem frater Lubbertus se humiliter exonerando in huiusmodi provisionem consentire recusavit. Vnde predicta abbatia de novo censetur vacare. Ne igitur prefatum monasterium in Berga diutine vacationis incommodo de cetero pregravaretur considerantesque religionis zelum vite ac morum honestatem aliaque laudabilia probitatis et virtutis merita, quibus tu frater Hermanne predictae apud nos fide digno commendaris testimonio, ideirco te fratrem eundem Hermannum in spiritualibus providum et in temporalibus circumspectum favore volentes persequi gratioso, abbatiam monasterii sancti Iohannis in Berga predesignatam sive premissis sive aliis quibusvis modis vacantem cum omnibus iuribus et pertinentiis suis nostra auctoritate ordinaria predicta tibi, fratri Hermanno prefato, pure propter deum conferimus et assignamus atque de eadem providemus teque in et ad corporalem possessionem ipsius vel quasi iuriumque et pertinentiarum predictarum quantum possumus inducimus et investimus de eadem curam regimen et administrationem dicti monasterii in spiritualibus et temporalibus tibi plenarie committendo. Quae omnia et singula vobis omnibus et singulis et vestrum cuilibet presentibus intimamus insinuamus et notificamus et ad vestram et cuiuslibet vestrum notitiam deducimus et per presentationem presentem deduci volumus atque mandamus tibi, frater Hermanne, attentius supplicantes quatenus pro gloria dei et animarum lucro collationem et provisionem huiusmodi acceptare velis. Et insuper vobis priori, seniori et conventui, fratribus et personis predictis et vestrum cuilibet in solidum, in virtute sancte obedientie et sub excommunicationis pena in personas ac interdicti sententia in conventum, quas in contrarium facientes trium tamen dierum canonica monitione premissa ferimus dei nomine in hiis scriptis, nisi feceritis que precipimus, districte precipiendo mandamus, quatinus predictum fratrem Hermannum, si et postquam in collationem et provisionem sepedictam pro gloria dei et animarum lucro, prout in domino plenarie confidimus, consenserit easque acceptaverit, in abbatem rectorem pastorem et administratorem vestrum et dicti vestri monasterii recipiatis et admittatis sibique reverentiam et honorem et oboedientiam debitam impendatis et exhibeatis atque de fructibus redditibus proventibus iuribus et obventionibus universis dicti vestri monasterii respondeatis et quantum in vobis fuerit ab aliis responderi admitti et impendi necnon a vasallis et aliis dicti vestri monasterii subditis consueta servitia et iura exhiberi faciatis et procuretis. In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium premissorum presentes nostras litteras sive presens instrumentum huiusmodi nostras collationem et provisionem ac insinuationem earundem in se continentem